

nium viventium vita spirituali. Sic enim Eva dicta est vita, voce enim hebraea vitam significat, quia mater futura erat omnium viventium vita animalium. Observat autem Epiphanius haeres. 78. Evam appellatam esse vitam, non quia ipsa per se tam insigni nomine digna esset; sed quia typus erat Mariae, quae vere vitam dici meretur, cum sit mater Christi, ac per hoc, omnium viventium.

Tandem ut alios omittam, Francisc. Suarez (in 3. part. tom. 2. disput. 23. sect. 1. con. 2), postquam dixerat beatam Virginem ad nostram salutem cooperatam fuisse, id explicat tribus modis, in haec verba: Primo merendo de congruo incarnationem; secundo orando, et petendo, et quamdiu fuit in vita, de congruo merendo nobis salutem; tertio concipiendo Christum nostrae salutis auctorem; et eisdem modis saepissime sancti Patres beatam Virginem attribuunt, quod nostrae fuerit salutis causa, praecipue Irenaeus (l. 3. c. 33), Anselmus (l. de laudibus Virginis c. 9), Fulgent sermones de laudibus Mariae ex parte salvatoris, ubi egregie opponit Mariam Evae, ut sicut haec fuit humani casus principium, ita illa fuit nostrae reparationis eorum, et causa; haec ille. Quibus omnibus duo addo. Primum est, quod cum duo munia maxime Dei propria sint, peccata remittere, et perditos homines salvare, haec tamen iuxta phrasim sacrae Scripturae hominibus tribuntur (Iacobi enim c. 5) legimus: Qui concertati fecerit peccatorem ab errore vitae suae, salvabit animam eius a morte: et per Ioannem (cap. 20): Quorum remisit peccata, remittentur eis. Ecce salvare, et remittere tribuuntur Deo, et creaturis; sed aliter, et aliter: Deo tanquam

causae principali, et auctoritative: creaturis vero ministerialiter, et instrumentaliter. Quo etiam modo explicari debet, quod cum aliquo beatificare sit proprium Dei, nihilominus fideles precantur beatam Virginem in praecitata antiphona: *Salve Regina*, ut illos beatificet dicentes: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exitum ostende*. Certe id convenit b. Virgini impetrative, Deo vero auctoritative. Ac tandem qui mirantur beatam Virginem dici coadiutricem Christi ad redemptionem generis humani, magis mirari debent quod in sacris Scripturis Moyses vocetur Deus Pharaonis (Exod. 7.): *Ego te constitui Deum Pharaonis*; cum tamen non nisi unus sit omnium Deus; et mirari etiam debent quod s. Gregorius Nazianz. (or. de Christi hypopant), et b. Damianus (ser. 2. de Nativ. b. Virg.) appellant Deam, intelligentes quidem esse Deam non per essentiam, sed per singularissimam prae omnibus participationem. Esichius etiam presbyter Hierosolymitanus, quod mirabilis videri poterit, non dubitat illam appellare, complementum Trinitatis; non quia intrinsece compleat Deum trinum, et unum, sed quia cum Deipara inter puras creaturas perfectissimum Dei opus sit, extrinsece complet Dei omnipotentiam, dum haec super omnia opera in illa mirifice effulget. Haec et similia, quae sancti Patres, et graves alii doctores ad Virginem commendandam sincere usurpant, pia, et sincera mente sunt interpretanda, et non in pravos sensus intorquenda, cum ab eorum mente longe illi sint alieni, et Virgini multum infensi, et ingrati; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## DE SACRIS ARCANIS

## BEATAE VIRGINIS

IN MORTE, SEPULTURA, ET RESURRECTIONE

EIUS LATENTIBUS

## LIBER DECIMUSTERTIUS

## HOMILIA PRIMA

*Beatam Virginem Patres nonnulli dubitant mortem obiisse, sed vere mortuam fuisse, auctoritate, et ratione comprobatur; sed prius sit satis quaerentibus, quare b. Virginis ortum, et mortem, necnon heroica eius facinora, paucissimis exceptis, sacri evangelistae retulerint.*

Non unus, sed multorum querimoniam audio aegre ferentium quod in canonicis Scripturis nulla lexitur historia, Mariae ortum, gesta, et mortem eius adamussim enarrans. Mirum certe, inquit, est cur divina eloquia haec tanti momenti reticuerint. Meminit huius querimoniae perantiquus auctor Pomerii (serm. de b. Virg.) in haec verba: *Matthaeus cap. 1. scribens de Christi genealogia hoc solum dicit: Iacob genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus: putabam, dicere debuisse: Virum Mariae Ioseph, quam ex Anna uxore, et angelo nunciante, miraculose genuit, quae fuit virgo castissima, etc. Similiter et Lucas: Missus est, inquit, angelus ad Virginem, etc. non describit eius ortum, nec eius gesta, aut vitae seriem, aut praecleara sanctitatis opera, et sic de aliis evangelistis. Praeter hoc solum, quod conceptionem Filii Dei ex ea a Spiritu sancto factam describunt, et ea, quae ad id dumtaxat pertinere videntur, et ad id assumunt argumentum tale, obicientes, quia evangelistae Praecursoris ortum, parentumque dignitatem, vitae sanctitatem, arduaque, et praecleara eius gesta descriperunt, usque ad terminum vitae eius, et martyrium. Ergo multo magis hoc de matre Dei facere debeant, ad fidei, et morum adificationem. Videtur ergo, quod sacra Scriptura id*

*omittendo, sit diminuta. Ipse vero, ut huic objectioni satisfaciat, duplicem adhibet rationem, Primam, consulto a sacris evangelistis illa omnia omissa fuisse, ut sic fidelium devotio erga Deiparam magis excitaretur, avidius in dies inquirentes sacra eius gesta, vitam, et mortem, iuxta illud Ecclesiastici (cap. 24): Qui edunt me, adhuc esuriant: qui elucidunt me, vitam aeternam habebunt. Secundam reddit rationem, quia sanctitas vitae, et mortis b. Virginis, ex quo vera Dei genitrix fuit, ut ait d. Matthaes, De qua natus est Iesus, satis liquet. Unde nulla superesse poterat dubitandi ratio de eximia vitae, et mortis illius sanctitate: ad idque magis explicandum subdit haec verba: Praecursoris ortus, vita, et mors rationabiliter scripta sunt; Mariae autem miraculosa conceptio, et ortus gaudiosissimus, vita sanctissima, opera praecellentissima, et arduissima, atque mors pretiosissima, et gloriosissima idcirco scribi non debuerunt, quia certissima fide creditur inter fideles viros quidquid ad eius dignitatem, sanctitatem, et excellentiam pertinet, et per se notum est his, qui de Iesu integram habent fidem.*

Aliam tandem responsonem eidem querimoniae adhibuit nobilis auctor Michael Glyca in haec verba: *Hac de re satis est respondere, auctores evangeliorum Christi admirationem in carne admirantes, ad eius a terris in coelum ascensionem pervenisse. At expers illa macula Domini nostri Iesu Christi mater, propterea atatem attigisse perhibetur, ut dicitur ille vir Andreas Cretensis antistes auctor est. Quapropter fieri non potuit, ut Virginis illius perpetua obdormitio evangelicae historiae insereretur, uti quae longo deinceps tempore, ut dicitur, acciderit. Praeterea scorsum peculiariter quodam libro, de ipsa nihil Christi discipuli memoriae prodiderunt, propterea quod in explicanda ipsius administratione occupati, magnopereque de una illa*







ad superandas tunc insidias diaboli, prout communiter tradunt theologi. Sed beata Virgo fuit capax huius effectus, cum potuerit a daemone tunc graviter tentari, quod fortasse ita de facto exiit ad maiorem coronam Virginis. Ergo fuit capax huius sacramenti: etenim sicut per confirmationis sacramentum recipit vigorem; et augmentum gratiae ad proficiendam fidem; et pugnandum contra inimicos illius; ita per extremam unctionem potuit recipere vigorem, et augmentum gratiae ad pugnandum contra malignos hostes in ultima lucta.

Secunda, quia sacramentum extremae unctionis fuit institutum ad conferendam sanitatem corporalem, si expediens sit recipienti. Sed beata Virgo erat capax huius effectus: ergo et huius sacramenti. Dices hunc esse effectum secundarium, remissionem vero peccatorum quoad reliquias esse primum; et quia huius incapax erat b. Virgo, ideo etiam erat incapax extremae unctionis. Sed contra, quia etiam b. Virgo, cum non contraxerit originale peccatum, incapax erat recipiendi primum effectum baptismi, qui est remissio originalis; et tamen, quia erat capax recipiendi secundarium, qui est character baptismalis, ideo capax fuit baptismi, et illum de facto recepit. Ergo licet b. Virgo fuerit incapax recipiendi primum effectum extremae unctionis, quia tamen erat capax recipiendi secundarium absolute, erat capax recipiendi hoc sacramentum.

Tertia, quia gravissimi doctores docent, formam ambrosianam: *ego ungo oculos tuos oleo sancto in nomine Patris*, etc. fuisse sufficientem ad hoc sacramentum, et ut talem approbavit Leo Decimus, approbando librum sacerdotalem Venetorum, illum continentem, ut docet Palu. (4. d. 23. disp. 2. concl.). Posita autem praedicta forma, nulla prorsus falsitas in ea reperitur Virgini applicata, maxime, quia ut superius adnotavit Henr. ubi snp. prodesse potuit hoc sacramentum b. Virgini ad reliquias peccati, prout important naturalem debilitatem, et fragilitatem, quam persona infirma palitur in agone, et lucta mortis. Et rursus cum b. Virgo capax fuerit huius sacramenti, non licet dubitare, quod illud de facto receperit; cum et id decens illi fuerit, et proficuum, et ad augmentum gratiae, et humilitatis exemplum plurimum conducens: et ut quibusdam placet de illo recipiendo, sit aliquale praeceptum, saltem sub veniali.

Verum his non obstantibus, arbitror cum ratione theologica coniunctius, et b. Virgini multo honorificentius esse non fuisse capacem extremae unctionis, atque adeo nec illam recepisse. Ita censuerunt graves doctores, Gabriel (in 4. distin. 23. quaest. 1. dub. 3), Vasquez (in 3. p.), Palud. (ibi q. 3. art. 2), et colligitur clare ex doctrina d. Thom. in additionibus (q. 30. art. 1), quia sacramentum extremae unctionis in omnium opinione ordinatur primario, et per se, vel ad delenda peccata venialia, vel reliquias mortalium. Sed b. Virgo nunquam peccavit nec venialiter, ut definitur a Trid. (sess. 6. cap. 26), immo nec peccare potuit in sensu composito, suae specialissimae confirmationis in gratia; et consequenter non habuit reliquias

peccati, cum istae ortum habeant a peccatis. Ergo b. Virgo non erat capax recipiendi hoc sacramentum. Nec obstat, si quis dicet cum d. Thom. habuisse peccatum originale, atque adeo reliquias illius, quia in primis suppositio ista est falsa, ut ostendi late (de sac. Arc. Deiparae lib. 1), et esto esset vera, reliquiae ex originali relictae non auferuntur per extremam unctionem, nisi per actus malos fuerint confirmatae, ut docet doct. cum Thom. (in add. q. 30. art. 1); sed b. Virgo non confirmavit illas per actus malos, cum nunquam peccaverit: ergo non erat capax extremae unctionis. Explico hanc rationem aliter, quia hoc sacramentum sine dubio primario institutum est, ut communis fert doctorum sententia, ad reliquias peccatorum abolendas. Sunt autem hae reliquiae, non pravi aliqui habitus, aut qualitates in homine existentes, sed fastidium quod ex memoria peccatorum in ipsa aegritudine, et fine vitae generari solet, sicut etiam ex ipso morbo. Hoc igitur sacramentum confert auxilium gratiae, ut corroboret infirmitatem nostram ex peccatis praeteritis contractam: et ita ad eundem effectum inungitur, ut ita tentationibus daemonicis, quae ex memoria illa peccatorum graviores esse solent, vehementius resistamus. Quocirca ipsa forma verborum non solum remissio culpae venialium, sed etiam reliquiarum peccatorum aliorum ad effectum, quem diximus, denotatur. Et ideo licet nobis constaret aliquem nullam culpam venialem habere, sine mendacio aut falsitate hoc sacramentum sub praedicta forma conferre possemus. Quare cum b. Virgo nullum peccatum commiserit, nulla ratione hoc sacramentum ei conferri potuit.

Secunda, quia forma huius sacramenti, *Indulgeat tibi Dominus, si quid peccasti*, etc. non solum indecens est Deiparae, sed respectu illius omnino falsa, cum ipsa omnis peccati experta esset, et nunquam peccare potuerit, ex suppositione suae specialissimae confirmationis in gratia. Huic rationi duplicem adhibet solutionem Suarez (3. par. tom. 2. disput. 18. sect. 2), ubi ait, formam huius sacramenti non reddi falsam, quia sensus illius est conditionalis, scilicet: *Indulgeat tibi Dominus, si quid peccasti*, etc. quae solutio fundari potest in d. Iacobo (cap. 5), dum conditionaliter ponit effectum remissionis dicens: *et si in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Sed contra, quia quantumvis effectus sanitatis corporalis sit conditionalis, scilicet si expedit animae infirmis; nihilominus qui nullo morbo laborant, non sunt capaces illius. Ergo licet sensus praefatae formae sit conditionalis, non propterea poterunt, qui nullis peccatis, aut reliquiis eorum laborant, recipere hoc sacramentum. Patet consequentia, quia ex eo, quod hoc sacramentum institutum est pro infirmis, sani sunt incapaces illius. Ergo eadem ratione, quia hoc sacramentum institutum est pro peccatoribus, prodesse non poterit eis, qui non fuerint peccatores, et semper caruerunt omni maena peccati, immo postestale ad peccandum, cuiusmodi fuit beata Virgo, supposita confirmatione in gratia. Nec favent praedictae solutioni verba divi Iacobi, quia cum dicit conditionaliter: *si in peccatis*

fuerint dimittentur, non loquitur de effectu primario, sed secundario, ut explicat divus Thomas (in add. q. 3. art. in corp.); nam primus, qui est remissio peccatorum quoad reliquias, semper illum causat, ut docet ibidem d. Thomas, ubi postquam dixerat, ex consequenti deleri venialia, si illa invenit, subdit: *Et ideo dicitur Iacobus de remissione peccati venialis conditionaliter loquitur dicens: Et si in peccatis est, dimittentur ei, scilicet quoad culpam: non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem praedictam, quam quidam peccati reliquias dicunt*. Secunda solutio eiusdem auctoris est, praedictam formam beatae Virgini applicatam non reddi falsam, quia sensus illius est: conferat tibi Deus gratiam de se sufficientem ad delendam omnem maculam, quae per sensum contrahi solet; licet alias de facto nullam deleat, quia nulla est: sicut quando poenitenti per contritionem iam sunt dimissa peccata mortalia, et venialia quoad culpam, et poenam, forma absolutionis, *ego te absolvo*, non est falsa, quia sensus illius est: confero tibi gratiam de se remissivam, et absolutionem a peccatis. Sed contra, quia materia circa quam absolutionis sunt peccata commissa a poenitente. Unde si poenitens nullum habet peccatum, aut nullum confessioni subicit, est incapax recipiendi tunc sacramentum poenitentiae, et gratiam de se remissivam. Ergo cum reliquiae peccatorum sint materiae, circa quam remissionis, et indulgentiae, quam exhibet hoc sacramentum, ut aperte indicant verba ipsa formae: *Indulgeat tibi Dominus, etc.* manifeste efficitur, deficientibus peccatorum reliquiis taliter, quod nec sunt, nec fuerunt, subiectum esse incapax huius sacramenti.

Tertia, quia sacramentum extremae unctionis est consummatum quaedam, et complementum poenitentiae, ut omnes theologi valentur: ergo qui incapax fuerit poenitentiae, etiam erit incapax extremae unctionis, quae est illius complementum. Cum igitur beata Virgo fuerit incapax illius, etiam et huius. Adde quod parvulus, et amentibus a natiuitate, iuxta omnium theologorum sententiam hoc sacramentum conferri nequit; non certe ea de causa, ut opinor, quia ad illud requiratur proprius consensus, siquidem illi verum recipient sacramentum baptismi, et effectum ipsorum, sicut et Eucharistiae, absque praedicto consensu; sed quia in illis esse non possunt peccata venialia, aut reliquiae aliorum peccatorum, contra quae hoc sacramentum corroborari possint, et debeant. Cum ergo beata Virgo, quoad peccata actualia, et reliquias peccatorum fuerit innocens, velut infans unius diei, aperte conficitur, incapacem fuisse huiusmodi sacramentum recipiendi.

Quarta, quia est evidens, moraliter loquendo, non incipisse in Ecclesia usum sacramenti extremae unctionis ante promulgationem divi Iacobi. At valde incertum est, an divus Iacobus fecerit praedictam promulgationem ante mortem Deiparae Mariae: ergo non ita certum est, Deiparam fuisse unctam, ut contendit Bernardinus de Busto supra dum ait: *Non licet dubitare, quin beata Virgo receperit extremam unctionem*.  
CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. II.

ctionem: licet quidam non solum dubitare voluerint, sed negare, ut minus probabile, minusque rationi consonum, et cum eximia Virginis puritate minus consentiens, ut rationes a haec omnia posset responderi, sufficienter probari beatam Virginem secundum legem ordinariam incapacem fuisse extremae unctionis; ex speciali tamen Christi privilegio illam recepisse; ita Suarez ubi snp. Sed id, nec probabiliter dici posse sic ostendo. Primo, quia gratis fingit tale privilegium, quod auctoritate alicuius doctoris non fulcitur. Secundo, quia eadem facilitate dicere poterit beatam Virginem incapacem fuisse sacramentum poenitentiae, de facto tamen illud recepisse ex Christi privilegio: eodem enim prorsus est utriusque sacramenti ratio; et ad praesens institutum spectat.

Nec huc doctrinae quicquam officiant rationes in contrarium adductae: non prima, quia ad illam respondeo non quaecumque confortationem in ordine ad ultimam lucem esse primum effectum huius sacramenti, cum eodem viaticum ad eam confortet; sed illam quae de facto auferit debilitatem corporalem, seu ineptitudinem ad bene operandum ex peccatis relictam, quibus quia carebat beata Virgo, ideo erat incapax huius sacramenti. Unde existimo dicendum, primum effectum huius sacramenti non solum esse rem positivam, quantum praebet robur, et vires ad ultimam lucem, sed etiam privativam, quatenus refert debilitatem illi oppositam ex peccatis praecedentibus relictam. Non etiam obstat secunda, quia bene respondet ibi. Ad replicam autem dicendum, eum qui non est capax primarii effectus huius sacramenti, non esse capacem recipiendi ipsum sacramentum, ut docet Scot. (in 4. distin. 23. q. 2. art. 2. ad); et ad instantiam de baptismo, quod non fuerit beata Virgo, respondeo, quod cum baptismus essentialiter sit ianua ad intrandum in Ecclesiam, certe ad primum illius effectum pertinet, non solum remittere originale, sed constituere hominem in membrum Ecclesiae, et facere christianum, seu ex grege Christi; et hunc effectum recepit beata Virgo: et sic non solum fuit capax secundarii effectus baptismi, sed et primarii inadaequate sumpto. Non tandem obstat tertia, quia falsam censum omnino sententiam illorum doctorum, cum quotquot boni nominis theologi sunt, unanimiter contestentur formam, quae utitur Ecclesia Romana, esse legitimam pro sacramento extremae unctionis, non vero illam ibi assignatam: Leo autem nullam, tanquam Pontifex, illius approbationem unquam fecit. Nec sufficit quod in eodem argumento subiungitur, beatam Virginem habuisse naturalem debilitatem in ultima pugna, ut propterea esset incapax extremae unctionis; quia hoc sacramentum non ordinatur ad delendos defectus naturales, sed mortales, vel ex illis tanquam eorum reliquiae, dimanantes.

Ad extremum. Ex incapacitate beatae Virginis ob eximiam eius puritatem, quae omni peccati macula semper carat, ad recipiendum sacramentum confessionis, et extremae unctionis.



nis, facile colligit, nullam inter puras creaturas aptiorem illa existisse ad recipiendum sacramentum Eucharistiae. Quare per religiosum eius susceptionem ad mortem se praeparasse nulla ratione dubitari potest: quia, ut tradunt graves theologi, Richardus (in 2. art. 6. *quaest.* 1), Durandus (*dicta quaest.* 2), Gabr. (*quaest.* 1), Dominicus Soto (*dist. 2. quaest.* 1. art. 2), Petr. Soto (*lect. 9. de Euch.*), divinum erat praecipuum, et modo extat, recipiendi Eucharistiam per modum viatici, ut ecclesiastica consuetudo satis declarat. Nam ex antiquissimis conciliis, et Pontificibus constat, semper ab Ecclesia diligentissime curatum esse, ne moribandi sine viatico decedant, ut patet ex concilio Niceano (can. 13), ex Toletano 11. (c. 18), Agathensi (c. 11), Ancyrano (c. 22), Orosiano (c. 13), Archatensi 11. (c. 12), Aurelianensi, et in concilio Carthaginiensi 4. (c. 77), quae consuetudo recepta adeo est, ut sine magno scandalo violari non possit; immo etiam de fide suspectus haberetur, qui voluntarie in mortis articulo viaticum negligeret. Ex huius autem consuetudinis antiquitate ulterius colligere licet, eam, ut minimum, esse traditionem Apostolicam, cum eius initium prorsus ignoretur. Beata ergo Virgo, quae observantissima erat divinae legis, praecipuum de suscipiendi Eucharistia per modum viatici minime praetermisit. Licet autem ita esset, ut eum qui suscepisset eo anno Eucharistiam, non obligasset praecipuum illud divinum iterum recipiendi illam per modum viatici, ut contendunt Caletanus (in *sum. verb. Commu.*), quem sequitur Ledesma (*quaest.* 21. *art.* 11. in *fin.*), Victoria (in *sum. num.* 86), idemque prius insinuaverat Palud. (in 4. *dist.* 9. *num.* 16), quamvis inquam praecipuum illud divinum non obligaret hunc ad recipiendam tunc Eucharistiam per modum viatici; quia tamen negari non potest, perfectius esse moribundum eam devote suscipere, licet alioquin eodem anno saepe se communicasset, consequens fit id elegisse beatam Virginem, quae meliora eucharistia semper accumulabatur, et quae in omnibus optimam partem semper eligebat, et quae tandem nec minimum perfectionis apicem unquam praetermisit. Adde quod si divinus Paulus (1. ad Corinth. 9) dixit: *Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* certe beata Virgo, quae familiae semper erat agninae carnis filii sui, quem ipsa genuerat, et nutriarat; et sitibunda fuerat pretiosus sanguinis, quem lacte suo auxerat: naeta quidem opportunam occasione edendi carnem hanc, et bibendi divinum hoc illi sui sanguinis nectar, incredibile est, illam omisisse. A quo autem sacram illam synaxim acceperit, nihil certum habemus: multi enim putant a Ioanne evangelista, qui erat quasi proprius parochus beatae Virginis. Cancellarius vero Parisiensis (*tract. 9. sup. Magnificat*) affirmat, communicatam fuisse per manus Christi Domini dicentis: *Accipe hoc chara mea, quod mox complebitur tibi in regno meo una cum Patre meo.* Nec mirandum, quod hoc tantum beneficium collatum fuerit Virgini, cum illud idem praestiterit Dominicus sanctae Catharinae Senensi, beatae Lido-

viniae, beatae Columbae Reatinae, necnon sorori, nomine Collectae, quarum omnium meminit Laurentius Maselli libro sexto de B. Virgine; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA III.

*Varia magnalia, quae mortem Virginis praecesserunt, ut hora mortis revelata, allata ei ab angelo in signum victoriae palma, Apostoli per totum terrarum orbem dispersi repente domi eius congregati, Christus Dominus mortis eius corporaliter praesens; ac tandem quae filius, et Mater ad invicem locuti fuerint, recensentur.*

Quemadmodum Deus, ut auctor naturae, non semel magnorum principum futuram mortem per cruentos cometas, horribilia tonitrua, et alia eiusmodi prodigia praesignavit; ita etiam quatenus auctor est gratiae, sanctorum imminentem ad superos migrationem variis portentis praesagire consuevit, ut de divo Ambrosio, Chrysostomo, et aliis illorum vitae historiographi passim commemorant. Id sane mirabilis praestitit Dominus in obitu matris suae, variis portentis illum praeveniens; quorum memores non infimae notae auctores sui scriptis illa inseruere. Et quidem, ut a miraculosa praecognitione suae mortis exordiar, nemo catholicus ignorat, quod sicut nihil inuicique certius, quam mortem sibi futuram; ita nihil incertius, quam tempus futuritionis illius, iuxta illud Ecclesiastici (cap. 12): *Nescit homo finem suum: sed sicut aves laqueo, et pisces hamo, sic homines capiuntur in tempore malo; quibus consonant verba Christi Domini (Matth. 13): Vigilate, quia nescitis diem, neque horam: super quae verba venerabilis Beda sapienter dixit: Certum est, quod morieris: incertum est autem quando, aut quomodo, aut ubi, quia ubique te mors expectat; tuque si sapiens fueris, ubique eam paratus expectabis. A quibus non abhorrent verba Senecae ad Lucillum dicentis: Incertum est, quo loco mors te expectat: tu si iam in omni loco expecta, in omni loco aequo time.* Speciali tamen privilegio non semel Deus amicis suis tempus, et horam suae mortis manifestavit. Unde divus Petrus (2. Pet. 2): *Brevi est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus mihi praedixit: et divus Paulus (2. Tim. 4) mortis suae tempus praesciens inquit: Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meae iam instat. Igitur cum lese divo Bernardo (in *epist. ad Canon. Lugd.*), quidquid aliis licet paucissimis est concessum, non est credendum gloriose Virgini fuisse denegatum; non dubitari potest, mortis suae tempus divinitus revelatum Deiparae Mariae. Praeter hanc tamen rationabilem adeo coniecturam extant gravissimorum doctorum monumenta id expresse affirmantium. Nicephorus (lib. 2. c. 21), Melito, vel quicumque alius est auctor (de transitu Virg. c. 3); et Me-*

laphr. (*orat. de morte beatiss. Virg.*). Facta autem fuit haec revelatio ministerio angelico: ut enim praedicti auctores commemorant, Dominus misit B. Mariae angelum, qui et mortem nunciavit, et palmam porrexit sibi a filio misam, in signum victoriae, et triumphi. Sicut enim Hebraeorum pueri divinitus inspirati, Christo Domino mortis appropinquanti rames palmarum obtulerunt, ut Evangelistae commemorant, symbolo illo mortis victorem illum futurum praesagientes, ita rationi consonum erat, ut appropinquante morte eius, quae tanquam fortissima virago communis hostis caput contriverat, et cunctas haereses interimere ceperat, in signum victoriae palma coelitus missa ei daretur. Nicephori verba praecitato loco haec sunt: *Virgo nuncium a filio per angelum de migratione accipit: migratione cognita, immensa repletur laetitia: quid enim dulcius ei, quam ut cum filio, et rege suo esse contingeret? Lumen ad eam infertur, domus purgatur, genere propinquat, ut par erat, accersuntur; ritueque, et ordine quae ad transitionem eam pertinent, praeparantur; et addit, in victoriae mortis trophaeum palmae ramum ei tulisse. Melito Episcopus Sardensis, vel quicumque alius auctor sit, de transitu Virginis Mariae haec scripsit: Secundo, et vigesimo anno, postquam Christus devota morte coelum condescenderat, dum die quadam desiderio Christi succensa Maria, sola intra domus istius receptaculum lacrymaretur: ecce angelus magni luminis, habitu resplendens, ante eam adstitit, et salutationis verba persolvit, dicens: Ave benedicta a Domino, suscipe illum salutem, qui mandavit salutem Iacob per prophetas suos. Ecce, inquit, ramum palmae de paradiso Dei attulit tibi, quem portare facies ante foretrum tuum, cum in die tertia assumpta fueris de corpore: ecce enim te expectat filius tuus cum thronis, et angelis, et universi coeli virtutibus; batenus ille. Ad haec divus Cosmas cognomento Vestitor, cuius meminit auctor Pomerii (lib. 10. parte 5. cap. 2. in sua histor.) haec scripsit, eodem auctore, eadem referente: *Quadam die cum in filii desiderium cor Virginis vehementer accenditur, aestuans animus commovetur, et intimarum lacrymarum abundantia excoletur, crebrisque desiderii sui singultibus, cepit talia verba eructare: O filius mi perdulcissime, o nate dilectissime, Iesu suavissime, en cupio dissolvi, et esse tecum: utinam filii mi adesses illa hora aurea, qua te videre possim in patria. Ecce mox angelus cum multo lumine eidem adstitit, et reverenter, ut pole matrem Domini, salutavit. Ave, inquit, benedicta suscipiens benedictionem illius, qui mandavit salutem Iacob: ecce filius tuus Dominus Iesus te matrem venerandam expectat, cum die tertia de corpore assumeris, ut coelestes mansiones iucundas reddas. Ecce autem ramum palmae de paradiso ad te dominam attulit, quem ante foretrum portare iubebis. Affirmat autem idem praecitato loco, quod palma illa nimia claritate splendeat: *Folia, inquit, ipsius, ut stella matutina fulgebant; et ego fateor, me videri apud quemdam Comitem regum particulam quandam, quae dicebatur esse de illa palma, et pro certo erat fulgidissima admodum***

*mirantis stellae, quasi coloris argentei fulgidissimi, cuius intuitus devotionem tingebat contentibus.*

Praecessit deinde illud mirabile portentum Deiparae obitum, quod omnes fere Christi Apostoli Hierosolymis convennerunt, qui Mariae mortis leses extiterunt, et sua praesentia funus cohoneserunt. Licet enim nonnulli cum Francisco Turriano (lib. 2. *advoc. Magdeburg.*) pro defensione canonum Apostolicorum contendat, secluso miraculo, potuisse Apostolos Hierosolymis tunc convenire, quod nec displicuit Canisio (lib. 5. de *Maria Dep.* cap. 3); verum ego antiquorum, et gravissimorum Doctorum vestigiis insistens, arbitror illum Apostolorum adventum miraculosum, et portentosum valde fuisse, cum momento temporis per aera rapti fuissent, ut morienti Virgini adessent. Nam praeter Metaphrastem id affirmantem (in *or. de vita, et ob. Virg.*), luculenter id tradit d. Damasc. (in *or. de ob. Virg.*), ubi affert historiam Euthymiacam, quae citat Iuvenalis Hierosolymitani Episcopi confessionem, eorum Marciano Caesare factam, in hunc modum: *In sancta quidem, et divinitus inspirata Scriptura de discessu sanctae Deiparae Mariae nihil traditur. Ex antiqua autem, et verissima acceptum traditione, quod tempore gloriosae eius dormitionis universi quidem sancti Apostoli, qui orbem terrae ad salutem gentium obibat, momento temporis in sublime subitum, convenerunt Hierosolymis. Et cum apud eam essent, eius visio caelitibus angelica, et audita fuit divina hymnodia praestantiorum potestatum; et sic cum divina gloria, et supercoelesti; in manus dei sanctam tradidit invenimus ratione quadam ineffabili. Haec Iuvenalis eorum imperatore Marciano, cum de sanctissimo Mariae obitu, et corpore rationem reddere iuberetur. Accedit Michael Syngelus presbyter Hierosolymitanus, qui in vila d. Dionysii haec verba habet: *Quod vero cursum Apostolicum perfecerit, et admirandis editis miraculis divinitus gloriosus apparuerit, nulla quidem, et alia fidem faciunt: et in primis nubes illa, quae ab Occidentis partibus abrupit, sublimem ipsum obtulit per aerem ambulantem, et elatum abduxit; ut etiam summos Dei inspectores, et theologos, Apostolos alium aliunde repente et finibus terrae in celebratissimum communem omnium christianorum Hierosolymam matrem asportavit; et in ecclesia divinatorum mysterium aere Sion Ecclesiarum matre ceteris Christi discipulis copulavit. Nicephorus etiam imperatori Marciano respondit, antiquissima, et verissima omnium traditione receptum esse, instante Virginis obitu, ex ipsis orbis terrarum finibus, ubi dispersi erant, Apostolos sublimem in aere Hierosolymam venisse. Subscribit Metaphrastes (in *orat. de Virg.*); ac tandem sanctus Gregorius Turonensis. (lib. 1. de gloria *Mart.* cap. 4) ait: *Congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum eius; cumque audissent, quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul. Scio cardinale Baronium haec velud apocrypha referat, sed nescio, quod fundamentum quia, ut recte adnotavit eruditus auctor Canisius (praec. loc.), qui Apostolos in variis locis, u-***



bi Christum praedicabant, per miraculum Hierosolymis convenisse, et Mariae morti interfuisse, confirmant, ut Iuvenalis, Damascenus, Nicephorus, Metaphrastes: hi rem illa proponunt, ut non scriptis apocryphis, sed verae, et pervenstae traditioni videantur inniti. Tum quia divus Dionysius Pauli Apostoli cum Timotheo discipulus, idemque Galliarum Apostolus a Policario, Methodio, et Athanasio, multisque aliis Doctoribus antiquissimis probatus, in hunc modum scribit: *Nos quidem una tecum, multisque sacris fratribus, sicut ministris, ad spectandum corpus illud, quod vitae principium, et ipsum Deum aliquando continuerat, conteneramus. Simul adevat frater Domini Iacobus, et Petrus, veritas Apostolorum ille supremus, vel sicut alii vertunt, theologus ille chorpaphus, et princeps. Confirmat idem Melito, ut habetur in bibliotheca veterum Patrum (serm. de Assumpt.), affirmans id accepisse ex ore divi Ioannis Evangelistae. Adde quod non omnia, quae scripta sunt in libris, apocrypha censeri debent, cum nullae ibi sint veritates catholicae. Tum tandem, quia si Dominum per angelum suum fecit Abachuc propheta in momento temporis per capillum de Iudaea in Babyloniam deferri, ut Danieli prophetae prandium apportaret; et si spiritus Domini rapuit Philippum apostolum in ictu oculi, ita ut continuo esset in Azoto, ut (Act. cap. 8) legitur; et si Deus Seraphici nostri Patris Francisci precibus annuens, ut Chronic. eius testatur, cum videre cuperet socios suos per totum orbem terrarum dispersos, simul in unum angelico ministerio congregavit; non video certe apparentem aliquam rationem, ob quam simile quidpiam in honorem Deiparae factum fuisse negemus, maxime id attestantibus tot antiquis doctoribus, immo et Sanctis, ut d. Dionysio Damasc. Metaphraste, Andrea Cretense, quibus pene innumeri moderniores subscribunt. Nobilis autem auctor Glycas adiungit, non Apostolorum modo, sed et septuaginta discipulorum caetum ad venerandum hoc Deiparae mortis spectaculum congregatum fuisse; et Nicephorus (lib. 13. cap. 4), id referente Laurentio Maselli (de vita Virgin. lib. 6. cap. 13), asserit praesentem existisse Timotheum, et Hierotheam, qui, et viderunt beatam Virginem, omnes Apostolos benedixisse, exceptis Iacobo, qui iam obiter, et Thoma, qui absens erat. Verum nec improbabilis est, sed nullum verosimile narratio eiusdem Nicephori (lib. 2. Eccl. hist. cap. 12), et Metaphrastes (in orat. de vita et morte Virg.), magnam hominum frequentiam, qui vel amoris necessitudine, vel generis propinquitate Mariae coniuncti erant, ad eam morituram convenisse, et ingenlem lacrymarum imbrem ex oculis eorum profluxisse. Si enim, ut refert divus Lucas (Act. 8), ingens planetus factus fuit in Ecclesia ex morte Stephani; certe cum maior iactura ex Mariae morte timeri posset, acerbior luctus credidit fuisse ortus.*

Verum et aliud excellentius prodigium ad honorandam Deiparae mortem filium eius patrasse, non ignobiles auctores commemorant, asserentes, non solum Apostolos duodecim, et

septuaginta duos discipulos, sed et ipsum Christum Dominum morti eius adfuisse. Ita in primis tradit divus Damascenus (de dormit. Virg. orat. 2.) in haec verba: *Ree ipse ad Matrem suam venit, et divinis suis, et purissimis manibus sanctam labris experlem ipsius animam susciperet. Cui testimonio innitens Canisius (de Deip. lib. 5. cap. 3) ait: Vidit Maria, quam in lecto decumberet, Christum Dominum illis oculis, quibus et Stephanus paulo ante mortem eundem aspexerat: vidit, inquam, angelorum tanquam satellitio circumquaque stipatum; et ad se ita comiter venientem, ut hinc tota gaudio, et voluptate perfunderetur; quod in amicis illius manibus suam esset animam depositura. Idem tradunt Bernardinus Bustensis (11. par. sui Mariae. serm. 1. de Assumpt. part. 5), et Laurentius Maselli (de vit. Virgin. lib. 6. cap. 19), et alii passim moderniores, mihi quae id satis verosimile, et credibile est: nam si, ut docet divus Gregorius (4. Dialog.), multisque exemplis comprobatur, ad consolationem iustorum vitae auctorem non semel eis apparuisse constat; minime crediderim hoc solatii genus benignissimum filium dilectissimae Matris suae dene-gasse, quae satis rationabiliter illud ad eo expectare, et postulare potuisset. Si enim Iacob patriarcha ante mortem suam videre desideravit filios suos, ut sacra Genesis historia commemorat, et cum primum Iosephum intulisset filium, continuo in illa verba prorupit (Gen. 46): *Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam; merito beata Virgo desiderasse censenda est hora mortis, unigenitum suum sibi adesse, et illum videre; meritoque credendum iusti huius desiderii complementum a filio obtinuisse. Affirmat deinde Metaphrastes (de vita, et dormit. Virgin.), quod proxima morti s. Ioanni Evangelistae dixit: *Duas tunicas, quas toto vitae tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo duabus mulieribus, quas Nicephorus (lib. 2. cap. 21) affirmat, viduas esse, et domni suae vicinas, et erga beatam Virginem propensioris amore, ac pietate prae ceteris aliis coniunctas. De altera ex his tunicis, duo iudico silentio non praetermittenda. Primum est, quod Metaphrastes (de dormit. Virg.) commemorat; refert enim de quadam foemina haec verba dixisse: *Deipara vitam finiens, duabus mulieribus virginibus duas suas vestes donavit, loco benedictionis, ex quibus una fuit ex mei generis maioribus, quae id accepit, quod donatum fuerat, et in ara deposuit; et omnino iussit his, qui erant sui generis, ut esset virgo unaquaeque, quae eam acciperet. Secundum est, quod Nicephorus (lib. 15. cap. 24) ait: *Leone imperante, venerandae, immaculatae matris vestis Constantinopolim hoc modo perlata est. Hanc sicuti dicitur, mater Dei ad filium migrans, mulieri hebraeae virginis reliquit, quae etiam ad illud ipsum tempus incorrupta permansit, et nulla miracula edidit. Postquam autem Candidus, et Galbus germani fratres patria dignitate praediti Hierosolymam profecti, omnia ibi loca per-  
trastarunt, et exosculati sunt, atque inde etiam in Galilaeae partes venerunt, et thesaurum tunc apud Iudaeam quandam servatum repererunt, consilium eius auferendi coeperunt, et Hieroso-*****

lymorum urbe peragrata, et sancto quoque loco salutata ex Palestina discessuri, arcam eadem longitudine, et latitudine, qua illa erat, in qua divina Dei matris vestis reposita erat, fieri curarunt, solito ornameto cooptam, per fraudem in loco suo deposuerunt; alteram autem illam, cum sacrosancta veste receperunt, et cum eo, quam eberoninae Constantinopolim recurrit in suburbana regione cui Balcherna nomen erat, occultare divinum thesaurum volentes. Quandoquidem vero rem tentare, quae fieri nequiret, ausi sunt, invili etiam eam ad Imperatorem retulere; atque ille incredibili elatus voluptate, rotundo in loco, ubi assercatur, constructo templo, cum magna veneratione arcam sacram in eo collocavit, ubi nunc quoque veneranda illa vestis servatur integra, velut invictum perpetuumque urbis praesidium, quae varios repellit mortos, et miraculis, quae in ea sunt, naturam, et vim temporis superat. Adit deinde Laurentius Maselli (lib. 6. cap. 21), beatam Virginem paulo ante mortem sacras reliquias, quas apud se conservaverat, Ioanni reliquisse; ut fasciam Christi, syndonem sepulchri Christi Domini, et feretrum, quod olim Constantinopolim fuit collocatum. Zonam item, cuius meminit Germanus patriarcha (in orat. de Zona Virg.), ubi ait: *Venerandam Zonam tuam nemo fidens aspexit, qui animi incredibili voluptate non complectatur. O Zona, quae nostrae imbecillae naturae lasciviam coercet, ac refronas. Eius etiam meminit Euthymius, ut refert Metaphrastes (de Zon. Virg.). Reliquit etiam velum, quod reverendissimo Virginis vultui, cum nupsit, deservivit; cuius meminit Gabriel Baris (lib. 2. de antiqua Calab.). Pecten deinde Treveriensibus ab Elena Constantini matre donatum, tradidit Iacobus Meddendorpius (libro 5. Academ. in trever. Gall. Urb. asser.); de quo Ugo Pharellus (lib. miracul. beat. Virg.). Annulum sponsalitium h. Virginis, quo Semimurensis apud Mandubios in Burgundia prioratus nobilitatur, cuius meminit Genebrardus (in Chronograph. lib. 5. ad ann. 868). Extat alius annulus Perusiae, qui propter nulla miracula edita in magna veneratione habetur, ut refert Ferreolus (lib. 5. de Mar. August. cap. 31). Extat etiam fusus, quo beata Virgo ad otium vitandum utebatur, ut tradit Nicephorus (lib. 14. cap. 2. de sudar.), et fasciis sepulchralibus meminit etiam Nicephorus (cap. 14). In horum numero etiam refero pelliculam in circumcisioe Christi detractam, quae nunc extat in oppido, nomine Calcaia, viginti milliariibus a Roma distante; ad cuius honorem Sixtus Quintus Pontifex Maximus concessit Indulgentiam plenariam, anno 1584. Reliquit etiam Coronam spinenam, et velum, quo ipsa caput cooperiebat, cuius meminit Nicephorus (lib. 2. cap. 32). Insuper addit reliquias necnon Ioanni capillos, et hac lacrum suorum, necnon aquam, et sanguinem, quae ex Christi latere effluentem, in vasculo collegerat; quibus tamen ego nullam fidem adhibeo, cum sanguis in cruce effusus, reaussuplus fuerit a Christo in resurrectione, ut unanimi consensu theologi valentur; nisi solum veli aliquas minimas sanguinis particulas fuisse a Virgine assevat.*

Sed perge iam verba recitare, quae ad Christum, et Apostolos Deipara locuta fuit proxima iam morti. Metaphrastes (praeci. loc.) ad Apostolos conversam haec dixisse narrat: *Vos vulte filii, neminem autem hunc decessum, ne luctu, sed laetitia potius prosequamini; quandoquidem vobis est persuasum, nos transire ad gaudium; et videte, ut corpus meum mandatis sepulturae in hac figura, in qua ego me composuero: haec enim est mea voluntas. Illos autem haec respondisse tradit divus Damascenus (orat. 2. de dormit. Virgin.): *Mane nobiscum, quae es nostra consolatio, quaeque in terra es unicum nostrorum laborum refugium; ne quae mater es misericordiae, nos relinquant orphanos: habemus te laborum requiem, et sudorum refrigerationem: si velis manere, in tua est potestas, et si velis recedere, nihil est impedimentum. Si recedis, quae es Dei tabernaculum, nos quoque recedemus, qui vocati sumus, tuus populus, propter tuum flumem. Te sola in terra relictam habemus recreationem: tecum vivo simul vivere, et cum mortuo mori, est beatum. Quid autem dicimus, moriente te? nam tua quidem et mors, et vita est melior; quam incomparabiliter superasti. Quid autem nobis erit, si te non habeamus, cum qua versemur? Ad Christum vero Dominum oculorum aciem dirigens, haec tanta matre digna verba protulit. (teste divo Damasceno (sermon. de dormit. Virgin.): *In manus tuas fili commendo spiritum meum: suscipe tibi charam animam, quam consecrasti alienam ab omni reprehensione. Meum corpus tibi trado, et non terrae: custodi saltem quam tibi placuit habitare, et cum natu es, conservasi virginem. Tu me ad te transfer, ut ubi tu es locus meorum viscerum, ego quoque tecum degam: ad te enim propero, qui ad me venistis citra ultimum spatii distantiam. Tu meis filiis maxime desiderabilibus, quos tibi placuit vocare fratres, esto mei discessus solatium, benedictionis eorum adhaec benedictionem per meam manum extensionem. Symeon autem Metaphrastes, haec quae sequuntur, loculam Virginem tradit: *Accersit autem Petrum, deinde alios, et cum lucernas ipsi accendissent, illa in spiritu exultans, deductis labris: benedico tibi, inquit, dator omnis benedictionis, causae luminis, qui meum ventrem inhabitasti: benedico tuae charitati, qua nos dilexisti Domine; et magnifico verba tua, quae nobis data sunt in veritate; et credo mihi affutura, quae dixisti. Quod si nosse desideras, quae verba Christus Dominus dilectissimae matri suae responderit, illa tibi reddit idem divus Damascenus (serm. cit. de dormit. Virgin.), in persona Christi in hunc modum loquentis: *Veni benedicta mater me in requiem meum: audi, surge, propinqua mea pulchra inter mulieres. Ecce hiems praeteriit, venit tempus putationis, pulchra es propinqua mea, et macula non est in te: odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Insignis autem doctor Canisius (de Deip. lib. 5. cap. 3) pie contemplantur Christum matri suae haec dulcissima verba locutum: *Clamabit ad me, et ego exaudiam eam, et cum ipso sum in tribulatione, eripiam eam, et glorificabo eam. Nomen meum coram hominibus, immo coram crucis meae inimicis aperte confessus est: con-******



flebar, et ego illam coram angelis, qui summo illius desiderio tenentur; et coram Patre meo, qui veri Salomonis matrem in throno amplissimo collocabit. Bonum certamen certavi, cursum vitae consummavi, fidem servavi, in via Domini sui semper ambulavi immaculata; nunc iusto iudicio curandam est, ut matri meae corona iustitiae debita, quae inde ab initio illi preparata est, tandem aliquando reperiatur. De torrente meum in via bibisti, nunc in patria mecum caput exaltabis: acutissimi doloris gladius tuam animam meo nomine, et saepe quidem pertransiit. Non te piguit mihi patienti ex animo compati, et morientem quodammodo commori; praesertim, quando sub cruce mihi constantissime, ac fidelissime assistebas. Tempus est, ut mutatis vicibus, luctus in gaudium, tristitia in exultationem, mors in vitam, gloriantique convertatur; ac tu summi decoris in meo regno particeps effecta, sempiternis illis perfuare delectis. Super omnes filias Hierusalem hanc sponsum elegi, amavi, concupivi: hanc unicam mihi Matrem lactissimam feci, in qua si ante hac unquam, nunc maxime honoranda versabor. His, vel similibus ab ore filii prolatis, exultabunda pia Mater animam Creatori suo reddidit, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IV.

Beata Virginem nullo morbo laborasse, dolorem in morte nullum sensit, nec daemonis horribilem vultum intuitam, sed ex ardenti divini amoris febre obhisse: cuius obitus triplex circumstantia, realis praesentiae Christi, loci, et temporis, hoc est domicilii, in quo degabat, anni, mensis, diei, et horae, in qua et vita discessit, et ex doctrina antiquorum Patrum aperitur.

Antequam propositum argumentum aggrediar, omnino praemittenda duxi verba d. Augustini (serm. de Assump.), in hunc modum sapienter loquens: De sanctissimo corpore perpetuae Virginis, cuius sacrae animae assumptionem loqui suscipientes, hoc primum dicimus, quod in Scripturis, postquam cum Dominus in cruce discipulo commendavit, nihil de ea reperitur, praeter quam quod Lucas commemorat in Actibus Apostolorum, dicens: Hi omnes erant unanimiter, perseverantes in oratione cum Maria matre Iesu. Quid ergo de morte, quid de eius assumptione dicendum est, ubi Scriptura nihil commendat, nisi inquirendum ratione, quod consentit veritati? fiet ergo ipsa veritas, auctoritas, sine qua nihil valet auctoritas. Licet tamen sacrae Scripturae testimonia in hoc genere argumenti desint, auctoritas certe gravissimum doctorum non desideratur, ut ex dicendis constabit. Ad rem ergo nostram accedens, nobilis auctor Procopius commemorat

celebre illud Iani templum ex aere confectum, instar sacelli cuiusdam quadri fuisse constitutum; sed non maiore magnitudine praeditum, quam ea, quae sufficiens erat ad capiedum in se ingens Iani bifrons simulacrum. Huius templi memor fuit Plinius (lib. 35. histor. natu.), tradens erectum fuisse a Numa, qui pacis, et belli quibusdam ritibus, et caeremoniis illud honorifice colebat: A Numa dicitur, pacis, bellique argumentum colitur. Ritus autem, et caeremoniae belli, et pacis haec solum erant, quod cum bellum indicebatur hostibus, continuo illius templi fores aperiebantur; tempore autem pacis protinus claudebantur. Unde tempore Romanorum, quando pax summa viguit, ter clausae fuerunt, primo a Numa, secundo a Tito Manlio consule, tertio ab Augusto Caesare, quando Christus Dominus natus fuit in Betlehem Iudaeae. Non dissimiliter Dominus Marianum templum omnium celeberrimum sibi aedificavit, Salomone dicente (Prov. 9): Sapientia aedificavit sibi domum: domum certe aeneam, propter proximam eius fortitudinem, tum ad vincenda cuncta vitiorum monstra, tum ad infringendas omnes Iarlarum potestates. Hoc autem sacrum templum tantae magnitudinis fuit, quantae opus erat, ut bifrons divini Iani simulacrum in eo collocaretur, hoc est Christus Dominus, qui propter divinum, et humanam naturam, duplici facie, instar Iani, praeditus erat. Ut enim substantialis Patri, imago illius est, et filius Virginis, matris imaginem refert. Venit autem Filius Dei hoc templum inhabitare, Iaquam Princeps pacis, prout illum vocat Isaias (c. 9), ut nos Deo reconciliaret: Pacificus per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt. Igitur cum fluvius pacis inundaverit terram nostram, ut promulgavit angelus (Luc. 2): Et in terra pax hominibus bonae voluntatis, etc. reliquum erat, ut in argumentum huius pacis sacri Mariae templi fores, instar templi Iani, clauderentur. Clausit certe beata Virgo ultimum diem, vel ut melius dicam, Matri exhalanti non Numa, nec Titus Manlius consul, non Augustus Caesar, sed augustissimus omnium creaturarum Monarcha Christus Dominus oculatorum fores propter digitis clausit; spiritum enim reddidit super Christi pectus recubans, ut sancti Thomae Cantuariensi a beata Virgine revelatum fuisse tradit Laurentius Maselli (lib. 6. de b. Virg. c. 19). Atque hinc ortum arbitratur, quod licet aliqui mortem ingenitum dolorem inferat, ut tradit Aristoteles (secundo de anima), et Solinus (lib. rerum naturalium) et sola eius memoria solet acerbissimum dolorem ingerere, iuxta illud Ecclesiastici (c. 41): O mors quam amara est memoria tua; mors tamen Virgini nullum prorsus intulit dolorem, sed indicibile gaudium, ut ex Alberto Magno (super missus), et ex divo Damasceno tradit auctor Pomerii (lib. 10. par. 1. ar. 2). Et quidem, si simile privilegium narrat divus Hieronymus concessum Iohanni Evangelistae (in prologo super eius Evangelium) consequens est Christum Dominum idem matri impendisse, iuxta sententiam divi Bernardi (epist. ad Canon Lugd.). asserentis: Quod a-

illis servis Dei, licet paucissimis fuit concessum, non creditur matri denegatum. Qua autem ratione impeditus fuerit dolor ille naturalis ex violenta illa divisione animae naturaliter a corpore resullans, arbitrari impeditum ex profunditate contemplationis, cui tempore mortis Virgo Deipara vacabat, cuius dulcor facile poterat omnem dolorem absorbere, qui alias ex divisione animae a corpore solet evenire; sicuti in simili contigit Moysi, et Heliae, qui per quadraginta dies ieiunantes, ob proximam divinae contemplationis dulcedinem, nec famem, nec sitim senserunt. Rursus inde etiam factum esse reor, quod licet aliquo moribundi ingenti dolore afficiantur, cum in puncto mortis caecodemone non vident; unde divus Cyrillus patriarcha in epistola ad Augustinum de miraculis sancti Hieronymi narrat, quod cum tres mortui fuissent Hieronymi ad vitam revocati, quoadiu proleat vixerunt, sine intermissione flebant; quorum unum, alius praesentibus, divus Cyrillus interrogavit, cur continuo lacrymas funderet? ille respondit: Si quae sum expertus, Cyrille, non ignorares, tibi semper inesset causa fletus. Illo vero eam requirente respondit: Anima mea resoluta est a corpore tam graviter, et acerbe, quod mens non capit humana, nec ego, nisi certa experientia didicissem, credere valuissem, quia omnis angustia, et dolor, quem aestimaret homo, nihil reputatur respectu illius angustiae: et iterum: Tanta, inquit, adveniente mortis hora nefandorum spirituum affuit multitudo, ut omnino dinumerari non possent; quorum species talis erat, quod ea nil horribilius, nil perniciosius cogitari potest. Potius enim quilibet hominum flammis ardentibus arsurum se exponeret, quam formarum eorum aspectu in ictu oculi patri, qui ad me veniendo, omnia quaecumque contra Deum perpetravi, ad memoriam revocabant, suadendo, ut de Dei misericordia non sperarem. Hec cur non advertunt mortales, quibus haec evenit, quod tunc mihi, ut non peccarent. Licet ergo ceteri, cum moriuntur, horrendum daemonis aspectum sustinere cogantur; beata Virgo ex peculiari Christi sibi in morte adstantis favore illum non vidit, ut praeter non paucos moderniores id asserentes tradit his verbis Laurentius Iust. (serm. de Assumpt.), quae partim desumpsit ex d. August. (in serm. suo de eiusd. Virgini. Assumpt.): Resolutionis carnis imminente articulo, sicut ab omni mentis, et corporis corruptione extitit libera; ita et a mortis dolore aliena nequaquam habuit, quod metueret: non affuit, qui se illi opponeret inimicus, nullusque terreni amoris impulsus, qui Virginis egredientem animam retardaret. Quomodo formidare poterat quae genuit Deum, pacem praestitit mundo, et gaudium immensum intulit caelo?

Verum non solum dolor in morte b. Virginem non oppressit, sed nec ulla infirmitas eam invasit, ut testantur d. Damascenus (orat. 2. de dormit. Deip.), Niceph. (lib. 1. cap. 35), auctor Pomerii (lib. 10. par. 1. art. 2), Dionys. Carthusius (lib. 4. de laud. Virg. art. 3), et permulti Neotherici; praesertim tamen card. Caietanus (opuscul. de spasmod. Virgini.), et ante illum noster Galatinus, qui (lib. 7. de Arcan. cap. 10) affirmat

b. Virginem tam recta valetudine semper fuisse praeditam, tamque complexionatam, ut etiam menstruis omnino careret. Cui sane privilegio licet nonnulli refragentur, mihi saltem credibile est, illud praestium sanctae Virginis, cum illud nonnullis aliis viris sanctis praestiterit Dominus. Iohannem enim Evangelistam se tumulo inclusisse absque ullo praevio morbo referunt Ambrosius (sermon. de sancto Martyr.), Gregorius Throensis (lib. de glor. plur. Martyr. cap. 20), Isidorus (lib. de Patrib. nov. testam.), Nicephorus (lib. 1. cap. 35. et lib. 2. cap. 42), in eoque tumulo sanum, et absque ullo morbo dormivisse. Ante illum etiam hoc ipsam concessum fuisse Aaroni, nonnulli doctores cum Laurentio Maselli ubi supra ex verbis illius (Num 20) deprehendunt: Colligatur, et morietur. Sed id de Moyse luculenter tradunt sacra eloquia: nam (Deuter. 32) Dominum ei dixisse legitur: Ascende in montem, et morere ibi: et (Deut. 34) haec verba habentur: Non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt: et illa alia: Mortuus est ibi Moyses servus Domini in terra Moab iubente Domino, vel ut legit originale hebraicum: Mortuus est Moyses in os Domini, vel ut alia lectio vertit: In osculo Domini. Non dissimiliter mortua fuit Maria in os Domini, dicens: Osculetur me osculo oris sui. Sicut ergo viri omnes isti absque praevio morbo et vita discesserunt, ita et beata Virgo: in cuius rei typo lego (Deuter. 27), praecipisse olim Deum Moysi, ut aedificaret altare Domino de lapidibus, quos ictus ferri non teligisset; et in eiusdem figura sacra ferri historia (lib. 3. cap. 6) malleum, securum, nec aliud ferramenti genus in domo Domini auditum fuisse legitur. Constituto igitur beatissimam Virginem nullo fuisse gravatam morbo, et ex alio capite morbo violenta non occubuisse, ut Patres omnes contestantur (homil. 1) a me citati; reliquum est, ut instar supernaturalis eiusdem phoenicis, divini amoris flammis exastam vitam exhalaverit, atque adeo nullo alio morbo obierit, quam ardenti amoris febre; quod ne proprio Marte dicere videar, auctoritate, et ratione id comprobare adhoar. In primis id docent beata Birgitta (lib. recel. cap. 62), Albertus Magnus (sup. Miss.), Laurentius Maselli (lib. 6. de beat. Virg. cap. 19). Sed ante illos antiquissimus Abbas Guericus (serm. 2. de Assumpt.) inquit: Beata Virgo languit timore tota vita, dolore in passione, amore in morte. Auctor Pomerii (lib. 10. part. 1. art. 2) in hunc modum loquitur: Mons beatae Virginis in ipsa hora mortis fuit suspensus in contemplatione suavissima, et amore Christi dulcissimo; et paulatim interim eius complexio defecit, usquequidem tandem sine dolore percepto, non interrupta contemplatione, sanctissima eius anima corpus desererat. Ac tandem Dionysius Carthusianus (lib. 4. de laudib. Virgini. artic. 3) ait: Dilecti filii cum incomparabili aspiravii ardore, distinarum quoque rerum contemplationi erat profundissima tunc intenta. Ergo prae spiritualis suavitatis affluentissima experientia, ac ferventissima dilectione separabatur sine poena a corpore. Ut autem luculenter agnoscas exitum vim amoris beatae Virgini mortem at-